



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Epitome In Qvatvor Lib. Sententiarvm M. Petri Lombardi**

**Spina, Claudius de**

**Parisiis, 1551**

31. de appropriatis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38840**

lius de illa incōmutabili Dei substantia debemus accipere, vt dicatur relatiuē ad creaturam: Vt ~~quamuis temporaliter incipiat dici, non tamen ipsi substantiæ Dei aliquid accidisse intelligatur: sed illi creaturæ ad quā dicitur.~~ Sicut refugium nostrum fit cū ad eum refugimus. Sic & Pater nō incipit esse, cū per eius gratiam regeneramur.

Hic potest solui quæstio, qua quæritur *Spiri. san.* an Spiritus sanctus dicatur relatiuē ad se, *vt datū vel donū, nō dicitur relatiuē ad se.* cū dicitur dari vel donari. Cui quæstioni respondentes, dicimus Spiritum sanctum dici datum vel donatum relatiuē & ad dātem, qui Pater est, cum Filio & Spiritu sancto: & ad illum cui datur. Quia non potest aliquid dici datum, nisi sit qui recipiat. Cū autem Spirit<sup>o</sup> sanct<sup>o</sup> dari à se, vel datus à se dicitur, relatiuē quidē dicitur ad illū cui dicitur, & est appellatio relatiua: & in illo cui datur mutatio, fit non in dante.

## DE APPROPRIATIS.

DISTINCT. Trigesimæprimæ

CAP. Primum.

*Aequalitas & similitudo in Diuinis non sunt relationes*

**Q**uia sicut simile sibi nihil est (Similitudo enim, ait Hil. sibi ipsi non est) ita *Lib. 3.* & æquale sibi aliquid non dicitur: ac per hoc sicut simile, ita & æquale re-



latiue dicitur. Quæ æqualitas Filij ad Patrem est propter summam simplicitatem essentia & unitatem. ~~Æqualis ergo est Filius~~ Patri secundum essentiam, & non sec. relationem. Vnde Aug. lib. 5. de Tri. Quærimus

Cap. 7. secundū quid sit æqualis Patri Filius: nō secundū hoc quod ad Patre dicitur Filius, æqualis est Patri. Restat ergo vt sec. id æqualis sit, quod ad se dicitur. Quicquid autē ad se dicitur, sec. substantiā dicitur. Restat ergo vt sec. substantiam sit æqualis. Eadē ergo est vtriusque substantia. Ex iis patet quod æqualitas Patris & Filij non est relatio vel notio, sed appellatio tantum relatiua. Hoc idem etiam dicimus de simili & similitudine. Vnde quibusdam non indoctē videtur nomine æqualitatis vel similitudinis non aliquid poni, sed remoueri: vt ea ratione dicatur Filius æqualis Patri, quia nec maior est eo, nec minor, & hoc propter unitatem essentia. Ita similis dicitur, quia nec diuersus, nec alienus, nec in aliquo dissimilis. & hoc propter essentia simplicitatem.

*Æqualitas & similitudo relationes rationis.*

CAP. Secundum. *Æternitas, Species, & Vsus sunt proprietates Personarum.*

Ca. 10. **H**ilarius proprietates Personæ alsignās dicit in Patre esse æternitatem, speciē in imagine, vsum in numero. Quæ verba exponit Aug. 6. de Trinitate, ita dicens: Æternitas est in Patre, quia non ha-



bet Patrem de quo fit. Filius autem de Patre est, ut fit, atque illi coæternus fit. In Filio imago: quæ si perfecte implet id cuius est imago, ipsa coæquatur ei, & non illud imagini suæ, in qua imagine speciẽ nominavit. Ideo Filius est imago & species, ob perfectam representationem Patris in eo. Repræsentat enim Filius cum summa similitudine & æqualitate. Spiritui sancto tribuitur munus & usus, quia ineffabilis ille complexus Patris & imaginis non est sine perfruitione siue charitate. Ex quo sequitur usus dilectionis, & collatio muneris, &c.

CAP. 3. *Vnitas, Aequalitas, & Aequalitatis concordia sunt proprietates.*

**A**vg. i. lib. de Doctr. Christ. præter superius expressas proprietates, alias tres connumerat, dicens: In Patre est vnitas, in Filio æqualitas, in Spiritu sancto vnitatis æqualitatisque concordia. Et hæc tria vnũ, omnia propter Patrem, æqualia omnia propter Filiũ, connexa omnia propter Spiritum sanctũ. Cum autẽ vnitas dicat substantiã, & æqualiter videatur tribuenda Filio & Spiritui sancto: dicendũ erit quod eadẽ ratione Patri tribuetur vnitas, qua & æternitas supra attributa est sec. Hilar. quia videlicet Pater ita est ut ab alio non sit: & quia Filium genuit vnũ secum Deum, &c. Vnitas ergo in Pa-



tre esse dicitur, quia nec est alius à quo sit: igitur nec aliquid est ab æterno, quod cum eo vnū non sit. Vnde Veritas ait, Ego & Pater vnū sumus.

Io. 10.

CAP. 4. *Vnum dicitur de tribus personis, sed non vnus aut vna.*

**R**es plures possunt dici vnum esse, si vnus sint essentia. Vnus autem vel vna non potest dici nisi cū addito: vt, Vnus Deus, vnus Creator, vel persona vna. Plura etiam dicuntur vnum, scil. consensu, vt Paulus & Apollo: Et qui plantat, & qui rigat vnum sunt.

1. cor. 3

*Cur æqualitas dicitur in Filio, quomodo sit vna æqualitas trium.*

**H**oc ideo fortè dictum est, quia Filius genitus est à Patre, æqualis gignenti, & dono, quod ab vtroq; procedit. Et ideo illa tria dicuntur esse æqualia propter Filium.

*Cur Spiritus sanctus dicitur æqualitatis concordia.*

Cap. 3 **Q**uia Spir. sanctus amor est quo Pater diligit Filium, & Filius Patrem. Vnde Aug. lib. 7. de Trinit. Spiritus sanctus est summa charitas vtrunque coniungens, nosque subiungens.